

## Alte Drucke

# Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. CV.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-173812

*esse delendos & Impios non fore amplius.* Imò, & dicere potuisset, *Mibi jam sunt delati*: non enim, Me, id est meam personam, propriè tangere amplius possunt. Quoniam tamen Inimici ejus, Peccatores scilicet, adhuc pro tempore manere, ejusque fideles non aliter ac se, affligere & oppugnare debebant, usquedum *primò* Totus Israël, & unà cum iis, quicumque ex omnibus Populis in eum crediderint, eumque secuti fuerint, Primæ Resurrectionis fuerint participes facti; & *deinde* quoque, velut virtute Regni Christi in Terris, quotquot DEUS creavit Nationes; Ideo de hac deletione Peccatorum & Impiorum è Terrâ extirpatione loquitur, non tanquam de re jam adimpletâ, vel desiderabili tantùm; sed tanquam de re quæ certò eveniet; & cujus gratiâ ipse unà cum Fidelibus omnibus, meritò in DEO latari possit. Denique ad horum omnium confirmationem sequitur *Quartum* hujus Cantici *Membrum* vers. 35. *Benedic Jehovah anima mea. Halleju-Jah.*

Ubi æternum quid est, ibi oportet Finem esse sicut Principium: ideòque, & hoc Canticum, quod in sæculum duraturum dicitur, non aliter sonare debuit in fine ac in principio. *Benedic Jehovah anima mea.* Deinde observatu dignissimum est, quod (ut in titulo hujus Psalmi innui jam) hic Psalmus primus omnium sit, in toto Psalterio, qui desinat in hoc Epiphonemate *Halleju-Jah.* Quasi hoc ipso Spiritus Sanctus significatum voluisset, Quod priusquam Contenta hujus Psalmi (quæ est Mundi in eum statum qui hic describitur, restitutio) plenè fuerint adimpleta, DEUS nunquam perfectè poterit laudari & glorificari: Sed tunc demùm, 1. Quando DEUS luce velut vestimento, sese induerit. 2. Quando Terram firmaverit semel, & ab aquarum diluvio securam reddiderit. 3. Quando omnifariam tam super Hominem quam Bestias Terræ benedictionem immiserit. 4. Quando, pulsâ Noctè, & fugatis tenebris, lumen Dièi elucescere fecerit, in quo filii Lucis omnibus Justitiæ & sanctitatis Operibus operam dabunt. 5. Quando non solum qui in Terris sunt omni Benedictionum genere cumulaverit, sed & maximam partem Animarum ex Maris profundo, velut perditas Oves, reduxerit. Et 6. Quando tandem etiam omnis generis homines in Veritate & Justitiâ super Terram confirmaverit, & omnes inde Peccatores & Impios deleverit: tunc inquam, tunc demùm incipiet hoc *Halleju-Jah.*

## P S A L M. C V.

S E U

Exhortatio ipsius CHRISTI, ad veros Abrahami filios, ut celebrent & enarrent Omnibus Terræ Incolis omnia Dei Mirabilia & Prodigia, eorum gratiâ præstita, nec non & Beneficia ipsis collata.

1. **E**ia, DEUM celebrate, DEUM, Nomenque verendum  
Ipsius, in Populis notificare, Pii.

Q 3

2. Et

2. *Et canite. & Psalmis Laudes narrate* J EHOVÆ,  
*Dicite per Gentes Facta stupenda Dei.*
3. *Sanctum ejus Nomen vobis sit gloria vestra,*  
*Et qui querit eum, gaudeat ipse animo.*
4. *O populi JOVAM qui queritis, eja age robur*  
*Ipsius, & vultum querite continuo.*
5. *De Mirabilibus nil vobis excidat unquam,*  
*Nil de Prodigijs Iudicijsque Dei.*
6. *O vos Abramidum Semen, vos Natio Sancta,*  
*Quam Deus elegit de Populis reliquis.*
7. *Noster JOVA Deus, cujus sunt sparsa per Orbem*  
*Iudicia, & cunctis ob via pæne locis.*
8. *Non fuit oblitus sacro-sancti in Sæcula Pacti,*  
*Quod cum ABRAHAMO Patre semel pepigit.*
9. *Nec Iuramenti, quod Patri fecerat ISHAC*  
*Immemor, aut Verbi in Sæcula Mille dati.*
10. *E contra hoc ipsum Patribus quod voverat, Ipse*  
*JACOBO firmat federe perpetuo.*
11. *Dicendo, Chananæa tibi, post Sæcula quædam*  
*Arva dabo in sortem funiculumque tuum.*
12. *Cum pauci essetis numero, nec non peregrini*  
*In Terrâ, spatio temporis exiguo,*
13. *Et vos de Gente in Gentem erraretis ibidem,*  
*De Regno in Regnum, de Populo in Populum.*
14. *Non permisit eis noxam inferri: quoque Reges*  
*Haud viles illo nomine corripuit.*
15. *Ne mihi sacratos, monco, ne tangite Christos,*  
*Neve Prophetarum vos facitote reos.*
16. *Deinde famem terras diuturnam immisit in omnes,*  
*Panis & armonæ sustulit omne genus.*
17. *Ast prius arcano sic rem direxerat antè*  
*Consilio, ut Fratrum venditus Invidia*

*Esset*

*Esset in Ægypti residens tellure JOSEPHUS,*  
*Qui patriam pavit pane ciboque Domum.*

18. *Afflixere Virum probris vinclisque severis,*  
*Atque Animam telis impetièrè suis.*
19. *Donec eum, vestram ut procuret JOVA salutem,*  
*Eloquio voluit purificare suo.*
20. *Hinc animo Victus Rex ejus Vincula tollit,*  
*Vincla, inquam, tollit ferrea quæque sua.*
21. *Et servum quondam toti jam ponere Regno,*  
*Et Domui Regis Præpositum voluit.*
22. *Ut pro jure suo Comitesque Ducesque ligaret,*  
*Instrueretque Senes moribus usque suis.*
23. *Hoc mediante Viro Ægyptum est ingressus Iacob,*  
*Parva cohors istic & peregrina prius,*
24. *Ast Populum parvo valdè auxit tempore JOVA,*  
*Præque aliis numero crescere fecit ibi.*
25. *Quid fit? Corda Deus Chamidum convertit, ut ipsi*  
*Opprimerent Populum supprimerentque suum.*
26. *Tunc misit Servum Moſen & misit Aronem,*  
*Quos operi aptaret præficeretque suo.*
27. *Qui Mirabilium, nec non & Prodigiorum,*  
*Niliaco in Populo plurima signa dabant.*
28. *Misit eis tenebras, & densâ nocte recondi*  
*Solares jussit Niliacis radios.*  
*Nec mora; quum Verbo Domini nihil usque repugnet,*  
*Nec quod non promptè pareat Imperio.*
29. *Hinc quoque se sanguis jussus miscere fluentis,*  
*Omnes infecit tabe cruoris aquas.*  
*Illorum occidit Pisces & quicquid in undis*  
*Undique squamifero de grege vivit aquis.*
30. *Hinc quoque, quòd Rana terreno ex pulvere nata,*  
*Undique replebant omnia claustra Domus.*

31. *Dixit,*

31. Dixit, & ecce venit Muscarum copia magna:  
 Nec non Vermiculus, turba molesta, venit.  
 Isti terram omnem infestant, adeò ut tibi nullum  
 Insectis vacuum repperiare locum.
32. Quin quoque pro pluvii immixtam Grandine flammam  
 Misisti in Terras Arvaque cuncta Chami.
33. Et percussisti Vites, arbustaque cuncta  
 Intra Aegyptiaco Limina fixa salo.
34. Dixit, & innumeri Terram operuere Locusta,  
 Et Bruchus, Campi perniciosas lues:
35. Illorum fruges carpentes undique, & herbas,  
 Nec non & Tritici conspicuas species.
36. Denique percussit tecto sub quolibet, omnem  
 Quem Primogenitum dicere jure queas;  
 Quò tandem Aegyptus, magno correpta timore,  
 (Tam Populus quàm Rex) Ire jubet subitò.
37. Nec vacuos tamen; ast Auri jam pondere onustos,  
 Argentoque graves, ac hilares animo.  
 Nullus ibi infirmus Iacobæâ in Gente, sed omnes  
 Unanimi fortes robore cordis erant.
28. Quin etiam Aegyptus multum est latata, pavorem  
 Discutiens, quo se senserat antè premi.
39. Et postquam Populus de Aegypti finibus esset  
 Eductus, porro duxit eum Dominus;  
 Quaque die expandens veluti Tentoria Nubem,  
 Et Noctem illustrans Lumine quamque suo.
40. Carnes cum petiit, pro carne Coturnice multâ  
 Pavit, & implevit Vota sui Populi.  
 Cum petiit Panem, Cæli saturavit ab auris  
 Et pro Pane; Cibos his dedit Angelicos.
41. Petram percussit, quò Fontes fecit Aquarum  
 Profuere eximios ad Loca sicca nimis.

42. *Quippe recordatus Verbi quod dixit Abrahamo; & Pacti quod fecit cum famulante sibi.*
43. *Eduxit Populum leto cum Carmine Laudis, Electosque suos non sine letitiâ.*
44. *Gentiles illis Terras dedit, & Populorum Assiduo & duro parta labore dedit;*
45. *Ut custodirent Leges & cuncta Statuta, Quæ dedit huic Populo præcipienda Deus.*

Hic Tertius est ab oratione Pauperis Psalmus. *Primus* erat Animæ Benedictione de sua particulari Redemptione. *Secundus* erat de totius Mundi restitutione, ex hac Animæ redemptione enatâ. Hic præfens Psalmus est efficax quædam Exhortatio per J. Christum ad omnes verè Fideles directâ, in quibus primùm hæc Redemptio locum habebit. In quo præcipuè Duo sunt Capita observanda :

I. *Quid factu opus sit.* vers. 1, 2, 3, 4.

II. *Quæ recordari & memoriâ colere debeant.* vers. 5, 6, 7, &c.

Quod Primum attinet, continetur his verbis :

Verſ. 1. *Celebrate Jehovaham, invocate Nomen ejus : agnoscere facite in Populis Opera ejus.* 2. *Cantate ei, psallite ei, loquimini de universis Mirabilibus ejus.* 3. *Gloriamini in nomine sancto ejus, lætetur cor quærentium Jehovaham.* 4. *Quærite Jehovaham, & fortitudinem ejus, quærite faciem ejus semper.*

Hic quatuor facienda distinctè recensentur : & *Primum* quidem, quid faciendum respectu aliorum Populorum qui tunc unâ cum eis terram inhabitabant : nempe coram eis Jehovaham celebrabant, ejus Nomen invocabant, & opera ejus in populis nota facient. vers. 1. *Celebrate Jehovaham, &c.*

*Secundum*, quid faciendum, respectu Dei, vel relatione inter Deum & nos habitâ : nempe faciemus idem, quod supra (Psal. c. iv. 33. audivimus, quod Jesus ipse affirmat se facturum totâ vitâ ; Ei cantando scilicet & psallendo & omnia Mirabilia ejus annunciando. vers. 2. *Cantate ei, psallite ei, loquimini de universis Mirabilibus ejus.*

*Tertium* est, *Quid* faciendum nostri ipsorum respectu ; ratione gloriæ & lætitiæ Cordis, quam in Deo prosequendo experti sumus : nempe, Si quid gloriantium, in eo gloriamur solum, quod Deum noverimus, & quod Nomen ejus altum Refugium sit, unicè Sanctum, & super omnia diligendum : In quo totam gloriam & lætitiâ nostram ponamus. vers. 3. *Gloriamini in Nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Jehovaham.*

*Quartum* est, *Quid* faciendum nostri ipsorum respectu, ratione tam externorum quàm internorum Studiorum ; nempe, ut quæramus Jehovaham assiduè, ejus fortitudine magis magisque induamur, & à lumine faciei ejus illustrari continuè petamus. vers. 4. *Quærite Jehovaham & fortitudinem ejus, quærite faciem ejus semper.*

En ! hæc illa est Exhortatio, quam Christus facit : non omnibus in universum hominibus : quomodo enim illi Deum colerent, invocarent & opera ejus enarrarent,

qui eum non nôrunt? Quomodo ei cantabunt & psallent deque Mirabilibus ejus loquentur, qui nihil illorum unquam experti sunt? vel quomodo cuiquam suaderemus, ut in Nomine DEI gloriatur, læteturque cum timentibus eum, qui hæctenus adhuc nunquam quæsitum eum? Sed dirigitur hæc Exhortatio tantummodo ad verum Semen Abrahami, & electos Filios Jacobi, prout disertè in Secundâ hujus Psalmi parte docetur, ubi quæ recordari debeamus recensentur. Nempe vers. 5, 6, 7.

5. Mementote Mirabilem ejus quæ fecit, & Prodigiorum ejus & Judiciorum oris ejus. 6. O Semen Abraham servi ejus, & Filii Jacob, electi ejus. 7. Ipse est Jehovah Deus noster, in universa Terrâ Judicia ejus.

Ecce, hæc vides non solum ad quos hæc dirigitur Exhortatio, (nempe ad verum Abrahami, servi DEI, Semen, seu Filios Electi Jacobi; id est verè Fideles:) Sed vides quoque, quæ illa sint quæ jugi memoriâ recolere eos decet: Scilicet hæc Tria

I. Mirabilia quæ fecit Dominus Abrahamo & Semini ejus, prout recensentur à vers. 8 — ad 25.

II. Prodigia, quæ illorum gratiâ in Ægyptios fecit, & judicia oris ejus. à vers. 25 — ad 39.

III. Beneficia ipsi Israëlî præstita, quibus se Deus eorum Deum coram toto Mundo declaravit. à vers. 39. usque ad finem.

I. Mirabilia Domini, quorum hîc memoria, ad Deum ritè celebrandum, commendatur veris Fidelibus, sunt potissimum hæc Quatuor.

I. Quod Dominus Pacti quod fecerat cum Abrahamo, & Juramenti quod juraverat Isaac, & Verbi de quo locutus erat usque in Millesimam generationem, suo tempore recordatus fuerit. Et quod idipsum pro statuto in Jacobo & pro Fœdere sempiterno posuerit in Israël, quando dixit. Exod. vi. 6. Dic Filiis Israël, Ego Jehovah, & educam vos ab onere Ægyptiorum, eruum inquam vos à servitute eorum, & redimam vos brachio extenso & Judiciis magnis; accipiamque vos mihi in Populum, & ero vobis in Deum; ac scietis quod sum Jehovah Deus vester, qui educo vos ab oneribus Ægyptiorum. Introducam quoque vos in Terram pro qua levavi manum meam me daturum illam Abrahamo, Isaac, & Jacobo: daboque eam vobis in hereditatem. Hæc sunt quæ Psalmista de Deo memorat his verbis,

8. Memor fuit in seculum Pacti sui, Verbi quod præceperat in Mille generationes. 9. Quod pepigit cum Abrahamo, & Juramenti sui ad Isaac. 10. Et statuit illud ipsi Jacob in statutum, Israëlî in Pactum sempiternum. 11. Dicendo, Tibi dabo Terram Canaan, funiculum hereditatis vestrae.

II. Quod eos Dominus, quibuscum Pactum inierat, & quibus Juramentum suum præstiterat, tam sedulè semper observârît; & quamvis initio pauci essent numero, & peregrini in Terrâ, de regione in regionem oberrando, quod tamen non permiserit, ut eis quisquam noceret; quin & eorum gratiâ corripuerit Reges, prout Gen. xij. 17. occasione Saræ, in Pharaone factum legimus; & postea quo-

quoque in Abimelecho. Gen. xx. Nec non & occasione Isaaci in eodem Abimelecho, prout memoriæ proditum Gen. xxvj. 10, 11. Quæ Mirabilia Psalmista nobis repræsentat his verbis:

12. *Quum essent viri pauci numero, & paucò tempore peregrini fuissent in eâ.*  
 13. *Et ambularent de gente ad gentem, de regno ad populum alterum: 14. Non permisit hominem injuriâ afficere eos, & corripuit propter eos Reges. 15. Ne tangatis Christos meos & Prophetis meis ne malè faciatis.*

III. Quod postea quoque in illorum gratiam, DEUS generalem Annonæ caritatem toti Terrarum Orbi immiserit, postquam Josephum vendi & in carcerem conjici sivistet; sed suo tempore, cùm jam sufficienter probatus esset, iterum educi curasset, ei plus Virtutis tribuendo quàm Principibus, & plus Sapientiæ quàm Senioribus, quâ tandem totam Patris sui Domum, (quæ tunc constabat LXXV. Animabus) in Ægyptum collegit; & quòd ibidem Dominus Populum tam vehementer auxerit, ut inde Ægyptiis formidabiles fierent; prout legimus Exod. 1. 7, 8. Quæ Mirabilia continentur vers. 16, 17, &c.

16. *Et vocavit famem super Terram, omnem virgam panis contrivit. 17. Misit ante eos Virum: pro servo venditus est Joseph. 18. Affixerunt compedibus pedem ejus, & in ferrum venit anima ejus. 19. Usque ad tempus quo venit Verbum ejus: eloquium Jehovæ purgavit eum. 20. Misit Rex, & solvit eum, Dominator populorum & solvit eum. 21. Posuit eum Dominum Domus suæ, & Dominatorem in omni possessione suâ. 22. Ut alligaret Principes ejus secundum animam suam, & Senes ejus sapientes efficeret. 23. Et ingressus est Israël Ægyptum, & Jacob peregrinatus est in Terrâ Cham. 24. Et auxit Populum suum valde & roboravit eum præ hostibus ejus.*

IV. Quòd, cùm jam Ægyptiorum corda à Populo DEI essent averfa, ut eorum odio perniciosum contra eos Consilium cæpissent, miserit Dominus Moses & Aharonem, per quos edebat signa & Portenta in Ægypto, quibus tandem compellebantur Ægyptii ad Populum dimittendum. Quæ Mirabilia exprimuntur, vers. 25. 26, 27, in genere

25. *Convertit Cor eorum ut odio haberent populum suum: ut machinarentur dolor in servos suos. 26. Tunc misit Moſen servum suum, & Aaron quem elegerat: 27. Qui posuerunt in eis verba Signorum ejus, & Prodigia in Terra Cham.*

## II. Prodigia Domini, quorum hîc memoria, ad Deum ritè celebrandum, veris fidelibus commendantur, sunt numero X.

Signa feu Prodigia, quæ Deus in gratiam populi sui contra Ægyptios edidit, recensentur à Mose Decem. Quæ heic quoque eodem Numero, sed ordine diverso, sigillatim repetuntur.

Primum est illud Tenebrarum prodigium, cujus meminit Moſes Exod. x quod per tres dies toti Ægypto incubuit; quibus tenebris Ægyptii ita premebantur, ut se invicem discernere non possent, adeoque in loco quo quisquis erat toto illo triduo manere cogeretur: quum è contra in Domibus Israëlitarum Lux esset. Exod. x. 22. 23. Vide porro quomodo Salomon, Libro Sapientiæ cap. 17. & 18, harum tenebrarum horrorem describat, quàm plenæ erant terroribus Conscientiæ malæ,

malæ, & Tentationibus gravissimis, à quibus se neque per ignem, neque per aquam, neque per artes ulla Magicas, abscondere aut extricare poterant. vers. 28. *Inmisit tenebras, & obscuravit: neque repugnarunt verbo ejus.* Quali diceretur: Non ita ac Pharao & Ægyptii, Tenebræ Dei Verbo repugnarunt; sed illico Deo paruerunt, & prout jusserat Ægyptios invasere, non parcendo nisi Israëlitis.

*Secundum* est, cujus meminit Moses Exod. vii. 21. quando flumina & aquas Ægypti in sanguinem mutari fecit, adeo ut Pisces inde morentur, & aquæ foeterent; ut non potuerint Ægyptii bibere aquam è flumine, heic expressum his verbis (vers. 29.) *Convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.*

*Tertium* est Ranarum Prodigium, de quo Moses Exod. viii. 3. Fluvius enim producebat Ranas, quæ ascendebant per totam Ægyptum, in domos & cubicula tam ipsius Pharaonis, quàm reliquorum Ægyptiorum, nec non super cubilia eorum, & in furnos & in reliquias ciborum &c. Expressum vers. 30. *Edidit terra eorum Ranas, in cubilibus Regum ipsorum.*

*Quartum* est illud Prodigium, de quo Moses eodem Capite (Exod. viii.) meminit, quando Aaron dicebat Deus: *Extende virgam tuam & percutite pulverem terræ; ad quod omnis terræ Ægyptiacæ pulvis convertebatur in pediculos, tam in hominibus quàm jumentis.* vers. 16, 17. unà cum *Quinto* signo, Insectorum noxiorum omnis generis, quibus undiquaque replebantur Domus Pharaonis & Ægyptiorum, de quo vers. 21. ejusdem Cap. Expressa utraque vers. 31. *Dixit, & venit congregatio mista bestiarum, pediculi in omni termino eorum.*

*Sextum* est iterum duplex Prodigium, de quo Moses Exod. ix. meminit, quando loquitur de Ulcere maligno, Inflammationes germinante, tam in hominibus quàm in Animalibus: quo etiam impetebantur ipsi Magi Ægyptiorum unà cum reliquis vers. 10, 11. Et præter illud *Septimum* Prodigium, quod constabat in vehementi & denso isto Grandine, qualis non fuerat in Ægypto à die quo fundata est: quo interficiebatur quicquid vel hominum vel jumentorum in agris inveniebatur, & se in Domibus aut sub tectis non recondiderat. Exod. ix. 18, 19. Utrumque expressum vers. 32, 33. *Dedit pluvias eorum Grandinem, ignem flammaram in terra eorum. Et percussit vites eorum & ficus eorum, & contrivit arbores termini eorum.*

*Octavum* est illud Prodigium de quo Moses meminit Exod. x. 13, 14. quando loquitur de Locustis, quæ totam terram Ægyptiorum operiebant: *Nonum* illud de Bruchis, qui devorabant omnes fruges terræ & fructus arborum, & omnem pecudem necabant, solis Israëlitarum pecudibus exceptis. Expressum heic vers. 34, 35: *Dixit & venit locusta, & bruchus absque numero: & comedit omnem herbam in terrâ eorum, & comedit frumentum terræ eorum.*

*Decimum* & ultimum Prodigium est illud, quo tam Pharao, quàm omnes Ægyptii adeo percellerantur, ut ultrò urgerent Populum, ocyus discederent; eis prompto & liberali animo quicquid auri vel argenti peterent, largientes: nempe, Quod Angelus Domini media nocte transiens per totam Ægyptum ab ipsa Pharaonis domo ejusque Regali throno, usque ad minimum quemque qui esset in Carcere, occidebat omnem Primogenitum, etiam in pecude æquè ac in hominibus: exceptis solis Israëlitis, qui, mandato Dei præmoniti, postes suarum domuum sanguine Agni Paschalis tinxerant; Quod exprimitur heic vers. 36, 37, 38.

Et percussit omnem Primogenitum in Terra eorum, primitias omnis roboris eorum. Et eduxit eos cum argento & auro, nec fuit in Tribubus ejus debilis. Latata est Ægyptus quum egressi sunt: quia irruerat pavor horum super eos.

III. Beneficia Domini, quorum hic memoria, ad Deum ritè celebrandum, viris fidelibus commendatur, quibusque se Deus Deum eorum palam professus est.

En, hoc Tertium est eorum, quorum jugem memoriam verus iste Davidis Filius, J. CHRISTUS, omnibus heic veris Israëlitis, unicè commendat: nempe omnia ista Magnalia & Opera benefica, quæ toti Domui Jacobi contingere à Deo, ex quo eam ex Ægypto eduxit, donec tandem, secundum Promissum Abrahamo factum, eam in Terram Canaan introduxisset, eique Populorum possessiones, & Gentium Labores, jure hæreditario possidendos dedisset, ut ibi statuta & legem suam observarent. Quæ Beneficia, quamvis multa & varia, ad tria tamen Capita reducuntur heic. à vers. 39 — usque ad 42.

Primum Beneficium erat, quòd Jehova de Die præcedebat Populum in columna Nubis, ut eis viæ dux esset & recto tramite dirigeret; & de Nocte, in columna Ignis; absque eo ut unquam ipsis deficeret vel Columna Nubis de die, vel Columna Ignis de nocte. Exod. xii. 20. Quod heic expressum habemus vers. 39. *Expandit nubem in tentorium, & ignem ad illustrandam noctem.*

Secundum Beneficium erat, quòd cum Populus, (inter Elim & Sinai) contra Mosè & Aaronem murmurassent, dicendo; *Utinam mortui fuissimus per manum Jehovæ in Terra Ægypti, quando sedebamus juxta ollas carniùm, & quando comedebamus panem ad saturitatem; quòd eduxeritis nos in Desertum hoc, ut interfeceretis omnem Cætum hunc fame.* Dominus eorum vocem audiverit, eisque per Aaronem indicare jussit, *Inter duas vespèras comedetis carnem, & manè saturabimini pane, & scietis quòd sim Jehova Deus vester.* Exod. xvi. 3, 12. Nam eadem illa vesperâ ascendebant Coturnices qui castra operiebant; & sequenti manè descendit è cælo ros quidam circum castra; quumque operuisset superficiem Terræ, apparuit in superficie Deserti minutulum quid rotundum, quòd Man vocabant; nescientes quid esset, donec Mosès ipsis dixisset, *Hic est Panis quem dedit vobis Jehova ad vescendum.* Exod. xvj. 15. Quò spectat quòd dicitur heic vers. 40. *Petitit & adduxit Coturnices, & Pane Cæli saturavit eos.*

Tertium Beneficium, Israëlitis in deserto præstitum, cujus jugem memoriam inculcat heic Salvator, describitur nobis Exod. xvij. 6. & Num. x. 11. Quòd nempe Deus; cum iterum Populi murmuraciones ob defectum aquæ audivisset, Moli in mandatis dederit, ut unâ cum Senioribus Populi ascenderet in rupem *Horeb*; ibique virgâ sua Rupem percuteret; quo factò, exiit aquarum abundantia, unde tam Homines quàm jumenta largissimè potabantur. Horum spectant hæc verba, vers. 14. *Aperuit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt per avida loca, instar fluminis.*

Hæc igitur illa sunt quæ Deus Filiis electi Jacobi præstitit; quorum jugem

memoriam suis inculcat heic Christus; Nempe *Quatuor Mirabilia* illa quæ Deus Patribus, cum adhuc pauci numero essent, præstitit; & *Decem Prodigia* seu *Judicia* quæ illorum gratiâ in *Ægyptios* misit; nec non & *tria illa singularia Beneficia*, quæ eis in *Deserto*, cum jam in *Magnum Populum* accrevissent, largitus est. Nunc restat videamus, unde hæc *Mirabilia* omnia scaturierint, & quo sine facta fuerint, tam Dei quàm nostri respectu. Id habemus in verbis *vers. 42. Quoniam recordatus est Verbi Sanctitatis suæ, cum Abraham servo suo.* Quæ verba perinde sonant ac illa *B. Virginis*, quando plena *Spiritu Sancto* in suo *Cantico* dicit: *quod Deus recordatus esset Misericordiæ, sicut locutus erat Patribus, Abrahamo & Semini ejus in seculum.* *Luc. 1. vers. 54, 55.* Si autem omnis *Salus & Beatitudo* nostra ab eo dependet & procedit, quod Deus *Verbi sui* Patribus facti recordetur; tunc indubiè non solum *fas & æquum* est, sed est *res Salutis & Beatitudinis plena*, quod nos ejus & operum suorum perpetud recordemur, illaque recordatione manus remissas & genua soluta erigamus.

Quod attinet finem omnium *Mirabilium*, & cur Deus *populum suum* cum lætitiâ, & electos suos cum *jubilo* ex *Ægypto* eduxerit, fuit quidem respectu Dei ipsius, ut ipsis daret *Terras Gentium & labores populorum* possidenda: at nostri respectu, seu respectu *Israëlis*, ut ii in *Patriam suam* reduces facti, & in *terras gentium & populorum* possessiones introducti, *Statuta & Legem Domini* observarent: prout expressum *vers. 43, 44, 45.*

*Et eduxit populum suum in gaudio, cum jubilo electos suos. Et dedit eis terram Gentium, & labores populorum possederunt: Ut custodirent Statuta ejus, & Leges ejus conservarent. Hallelu-jah.*

Quod *Hallelu-jah* secundum est, *Psalmo* huic pro *finali Conclusionem & perfecti Operis Indicio*, suffixum. Ideoque quamvis omnia *Psalmo* hoc memorata *Mirabilia* semel in *Israële* *literalem suam adimpletionem* habuerint, nihil obstat tamen quo minus heic ad *proximius & eminentius* quid respiciatur. Nempe ad *illam Filiorum Jacobi reductionem*, quæ adhuc fiet: quâ non ex *Ægypto* solum, sed ex *omnibus terræ finibus*, in *Patriam suam* reducentur, ad possidendum *Regnum* quod *Psal. civ.* *descriptum* vidimus. Tunc enim demum *verum* illud *semen Abraham*, & *synceri Jacobi filii*, propriè non solum *Terram Canaan*, quemadmodum olim *Patres ipsorum*, possidebunt; sed, quod plus est, *omnes Gentium terras, & populorum possessiones jure hæreditario, idque in æternum possidebunt.* Et nisi *Psalmistæ* heic ad *proximius & eminentius* quid respexisset, quàm unquam adhuc *vifum*: & nisi ad *finalem & constantem* illam *Regni in Israële restitutionem*, quæ demum *perfectum opus* erit, ad quod adhuc *alia Mirabilia* pertinebunt, respexisset; Quomodo de tali *Celebratione & Cantu* potuisset loqui, de tali *annunciatione Mirabilium Dei*, ut *suprà vers. 1, 2.* factum? Et nisi quid *majus* intendisset, quàm *particularia illa Judicia Dei*, quæ hæctenus *Mundo* obtigère, Quomodo dicere potuisset, sicut *vers. 7.* habetur: *Jehova est Deus noster, in universa Terra sunt Judicia ejus?* Imo, nisi *Psalmistæ* heic ad *finalem Promissum istius Abrahamo factæ* (scil: fore eum *hæredem Mundi*, *Rom. 4. 13.*) *adimpletionem* respexisset; quomodo dicere potuisset, ut *vers. 8.* facit: *Quod in hoc ostenderit Deus se memorem fuisse in seculum Pacti sui cum Abrahamo, & Juramenti sui Isaac præstiti?* Vel, quomodo

modo Psalmum hunc ita concludere potuiffet. ac verſ 42, 43, 44. cum dicit: *Quoniam recordatus eſt verbi Sanctitatis ſuæ cum Abrahamo, ſervo ſuo: Et eduxit populum ſuum in gaudio, cum iubilo Electos ſuos. Et dedit eis terras Gentium &c.* Denique niſi Pſalmiſta aliud & majus quid intendiſſet, quàm quod hæc in Canaan evenerat; Imo niſi quid intendiſſet, cujus hæc hactenus tantum typum & Imaginem vidimus, quorſum quæſo hæc Mirabilia nobis tam ſedulò inculcaſſet, ut eorum jugem recoleremus memoriam? Si autem his plura & majora adhuc Argumenta & Documenta vis, hæc non reſpici, neque in quicquam quod hæc unquam factum, vel in aliud quidpiam quod poſthac in Cœlis fit eventurum, obſerva quis Poſſeſſionis præmemoratae finis fit futurus, Nempe, ideo hocſce Electi Jacobi filios terram gentium poſſeſſuros, *Ut cuſtodiant Statuta Dei, & Leges ejus conſervent.* verſ. 45. Quod in hunc uſque diem in Terra nondum accidit, niſi pro exiguo tantum tempore, idque valde imperfectè, etiam quando maximè obſervatum fuiſſe videri poſſet. Et quod Cœlos attinet, non ideo data ſunt Statuta & Leges ut ibi demùm cuſtodiantur; ſed hæc in terris. Et donec id fiat, non poterit *Univerſale Hallelu-Jah*, prout in præcedenti & hoc Pſalmo fit, & inſequente adhuc fiet, ritè decantari.

P S A L M. C V I.

S E U

Exhortatio à Chriſto ipſo ſuo tempore etiam iis dictanda, qui ex reſiduo iſto Pop. Iſraëlitici erunt, qui demum poſt Electos ex Baſan & Profundo Maris erunt reducendi: ut ſic tandem etiam omnis Populus Deo benedicat, & Redemptionis opus omnibus ſuis partibus abſolvatur,

*Primus eſt hic Pſal. qui ab Hallelu-Jah incipit & in Hallelujah deſinet; quod evidens perfectæ Salutis ex Salute partæ, ſeu Integralis Salutis ex Partiali Elektorum derivata, ſignum eſt*

הללויה

1. **E** Ia, Deum lauda, & Nomen celebrato Iehova,  
Nam Bonus, & Bonitas tempus in omne manens.
2. *Quis Iova vobis? Quis ſando encomia vobis  
Eſt narraturus? Quis-ve dabit capere?*